C sed id tantum quod primo erumpit. Radicem itaq; tantum & folia depingi curauimus, ut quæ Oleris atri, cuius sæpè fit apud Dioscoridem mentio, forma, saltem in foliis & radice, esset, cerneres. Annitemur tamen ut aliquando integram eius herbæ picturam exhibeamus.

LOCVS.

Nascitur in umbrosis, & iuxta paludes.

TEMPVS.

Satum tardè prouenit, ideoq; factum ut integrè depictum dare nobis haud licuerit. Floret, Plinio teste, æstate.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est in secundo ordine, ut Apium, & siccum in medio tertij.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Estur olerum modo ceu Apium. Radix etiam cocta & cruda estur. Quinetiam folia & caules cocti manduntur, & per se aut cum piscibus præparantur. Crudaq; ad salgama condiuntur. Semen potum in mulso menses ducit. Rigore concussos calfacit potum & illitum. Vrinæ stillicidio auxiliatur. Radix eadem præstat.

EX GALENO.

Hipposelini similis Apio uis est, ualidior tamen. Mensium autem & urinæ ciendæ potissimum facultatem habet, ut liquet ex capite eiusdem de Smyrnio.

EX PLINIO.

Olus atrum quod Hipposelinum uocant, aduersatur scorpionibus. Poto semine torminibus interaneis medetur. Itemq; difficultatibus urinæ semen eius decoctum ex mulso potum. Radix eius in uino decocta calculos pellit, & lumborum ac lateris dolores. Canis rabiosi morsibus potum & illitum medetur.

D

DE IXO▸ CAP▸ CXXIII▸

NOMINA.

ΙΞΟΣ Græcis, Viscum Latinis & officinis, Germanis Miſtel/oder Affolter nominatur.

FORMA.

Planta est fruticosa, lenta, semper uirens, intus porracei coloris, extrà subflaua, foliis buxi, acinis exiguis, sine flore.

LOCVS.

Nunq; in terra, sed semper in arbore, quercu præsertim, pyro, mâloq; prouenit.

TEMPVS.

Autumni initio cum suis acinis decerpitur.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit cum acrimonia: ex plurima enim aëria & aquea, pauciſsima terrena constat. Igitur acrimonia in eo amaritudinem excellit.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Discutit, emollit, attrahit: tubercula, parotidas, cęterosq; abscessus cum resina & pari cæra mixtum, maturat. Epinyctidas in splenio curat. Cum thure antiqua ulcera, & malignos abscessus mollit. Lienes cum calce, aut gagate lapide, aut asio coctum & impositū minuit. Cum auripigmento aut sandaracho illitum, ungues extrahit. Mixtum cum calce & fæce, uim suam intendit.

EX GALENO.

Valenter ex alto humores extrahit: nec tenues tantum, sed & crassiores, eosq; diffundit ac digerit. Est autem ex eorum genere quæ non protinus admota calfaciunt, sed quæ tempus requirunt, uelut Thapsia.



LEONHART FUCHS De Historia Stirpium Commentarii Insignes BASEL, 1542 THE WARNOCK LIB